

M  
Sven Syd 920<sup>3a</sup> - 4<sup>o</sup> 2  
9  
2

G. q. 106. a.





Del

115

QVVM  
VIR REVERENDISSIMVS  
IOANNES FRIDERICVS  
HÆHN  
MONASTERII BERGENSIS ABBAS  
PVBLICE RENVTIARETVR,  
NOVOS HONORES  
IPSIQVE REIPVBLICAEQVE  
GRATVLABANTVR  
PAEDAGOGII BERGENSIS COLLEGAE.



D. VIII. OCTOB. cl. b. CCLXII.

MAGDEBVRGI  
EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI PANSE.





Vsque adeo, Jesu, tibi pectora mollia amore,  
Vt vel in immeritos ora serena micent?  
Siccine te, iustæ quantumuis, pœnitet iræ,  
Vt, quæ debebat dextra ferire, iuuet?  
Tam miti ingenio es, facilique & parcere prompto,  
Vt, cum triste feras, tristis & ipse gemas?

O bone terrigenum custos, mitissime Jesu,  
Iste tuus nobis quam male notus amor!  
Quam male tu totus, quantus sis, crederis ignis,  
Dum, facinus! scythicum pectora nostra gelu!  
Quam nos non capimus, tibi quis sit cordibus imis,  
Ah dudum nostris turpiter exul, amor!  
Nempe inopinantem si quem deceperit olim,  
Qui condonandus leniter error erat;  
Si fuit egregio depresso corpore nœvus,  
Quæque tegi humane debuit, ore nota;  
Si nimio infirmus pes quondam pondere lapsus,  
Et descripta aliquid forte relicta via;  
Si non ingenuo serua est reuerentia vultu,  
Nec sat humi, paullum libera, verba repunt:  
Heu mihi! quæ nostris tolluntur mentibus iræ,  
Quam perfusa atro pectora bile tument!  
Me miserum! vitros æstu quo fertur ad ignes,  
Atrocesque parat mens furiata faces!  
Tum nil affini, nil iungi sanguine eodem,  
Nil virtus, pietas, iura fidesque iuuant.  
Infelix Priami regnum! per fata maneres,  
Trojaque! nunc rabidæ dira tropæa manus!  
Fors domina vndarum late per secula stares,  
Turpiter indomito versâ furore, Tyros!



Sed quid ego demens quid fragibus hæreo præcis,  
 Dum nostra heu! eadem viscera pestis edit!  
 Tetrica dum terris monumenta iræ vndique squallent,  
 Flamma, cinis, fumus, busta, ruina, rogus!  
 O male funesto terris his omine pulsus,  
 Quos tragicos casus funeraque edis, amor!  
 Sic quoque ego, ignorans qualis tu, parce parenti,  
 Christe, quid humani rebar inesse tibi.  
 Sic tibi nonnunquam commoto surgere rugas  
 Credideram, & nostris ora seuera malis.  
 Illene, dicebam, quem crimina nostra læcessunt,  
 Qui iustus dextra vindicis arma gerit;  
 Non minor vicisci male sanos gloria cuius,  
 Quam bona librata pendere lance bonis;  
 Denique qui summo nil, nil profecit amore,  
 Et male in ingratos munera larga tulit;  
 Illene supplicibus, cum clamauere, parebit,  
 Proque graui extemplo vindice lenis erit?  
 Protinus ad nostros mollescent pectora sterus,  
 Nec poterit madidis ora videre genis?  
 Largior, vt parcat; tamen ausos talia plectet,  
 Ne subito redeant pristina ad illa leues;  
 Et tandem, ad tempus dum munera sueta negabit,  
 Ostendet miseris: quanta fuere bona.  
 Sic mihi fingebam te durum, mitis Iesu,  
 Hæcque tuæ mansit mentis imago diu.  
 At bone terrigenum custos, miuissime Iesu,  
 Ille tuus nobis quam male notus amor!  
 Scilicet ad nostros mollescunt pectora sterus,  
 Nec potis es madidis ora videre genis.  
 Ah memini, iste Senex (nil lacryma iusta timeto,  
 I licet, hunc pietas & decet ista diem)  
 Iste Senex misere cum nos relinqueret orbos,  
 Ferrenturque bonis funera stenda Patris:  
 Attoniti stabant omnes, vox rara silentia rupit,  
 Quocunq; aspiceres, horror & horror erat.  
 Tum quis non timuit, ne tandem surgeret vltor,  
 Iustaque pro meritis pœna parata foret!  
 Quis non desperans cecinit triste, I licet, illud,  
 Et loca cœlesti fulmine tacta fuge!  
 Credibile est, istis Numen bene velle, parente  
 Quos, subita erepto morte, carere finit?  
 En, tales sæue lacerant dum pectora curæ,  
 Et dolor, & cunctis durior hisce metus;  
 Dum bene vix, multis visum est, sperare licere;  
 Dum breuiter, teneo, nil nisi triste fuit:  
 En subito, Iesu, colluxit gratia vultu,  
 Oraque diuina luce corusca micant!  
 Scilicet audebant quod vix trepida hiscere vota,  
 Spesque leui quorsum surgeret ægra pede;  
 Quod timuit dubius solempi voce precari,  
 Consiliiq; animus pectore pressit inops:  
 O quam mitis amor! facilis concedis, Iesu,  
 Major & vt dono gratia, sponte facis.  
 Sponte, inquam; dextram qui lapsis porrigis vltro,  
 Inque locum Patris sufficis ipse Patrem!



O igitur dium munus, Pater optime, salve,  
 Vnica funestis ara perita malis!  
 Salve, olim nostri soboles germana Parentis,  
 Post spes, perfugium, deliciaeque Senis!  
 Salve, cum signum, tum pignus, Josua, amoris,  
 Quo duce, Mosis orsum, perficiatur opus!  
 Salve, immortalis pacendi nate labori,  
 Nate schollis, nostro denique nate loco!  
 Exoptatus ades, dudum votum omne bonorum,  
 Spes cujus solum publica nomen erat!  
 At tibi pro tanto quid persoluemus amore,  
 Quae meritis, Jesu, gratia digna tuis?  
 Gens Judaea olim cum litrus salua teneret,  
 Tuta illinc Phariis ensibus, hince mari:  
 Quo duce turba precans ambos devicit, eodem,  
 Cui debebat opem, carmine grata fuit.  
 Cumque tuae, David, decus & solatia gentis,  
 Iure inuisa suis quae peregrina locis,  
 Tandem, inopinato percussus funere primum,  
 Conspiceres aedi condita rite suae:  
 Quae cecidit gratam tum signum victima mentis,  
 Quos dulce ingeminans reddidit Aera sonos!  
 Nempe, Deus, prudens si quis tua munera sentit,  
 Ah non angusta gaudia mente premit!  
 Sic quoque nos, liceat magnis componere parvas,  
 Parua? erro, non sunt, in quibus vna salus.  
 Sic quoque nos festos debemus reddere honores,  
 Et quod debemus, mens memor ipsa cupit.  
 At quid vis fieri? num victima caesa probatur,  
 Araque profuso tincta cruore placet?  
 An templa auratis cupis exornata coronis,  
 Et tabulam, quae sit pendula testis opis?  
 Denique Mæoniis modulatas artibus odas,  
 Annaeque antiquo more dicata sacra?  
 Ah aras, templum, tabulas & carmen haberes,  
 Haec tibi si, Jesu, gratia grata foret.  
 Sed nil tale cupis, cujus possessio mundus,  
 Quasque mare & caelum terraque fundit, opes:  
 Vna tibi, vt sponso, mens fida & casta probatur,  
 Ingenueque tuis ignibus aequus amor.  
 En tibi eum a nobis, non re, sed rite dicatum;  
 Nam nunc, nec tamen hoc, nil nisi velle datur,  
 Hunce tuo, recte tibi votum, numine praesta,  
 Facque tua, quales esse vouemus, ope.  
 Sic lata iuste memores opis esse putabis,  
 Quaeque referretur gratia, rite cader.  
 Sic tu, quae dederas, seruabis munera, Patrem;  
 Deliciasque tuas, deliciasque hominum.  
 Sic, quae debebat, pietas praestabitur vltro,  
 Et, quam pollicita est dextera mensque, fides.  
 Denique sic, proles qui nunc nos prima Parentis,  
 Paruula turba licet, cara futura sumus.  
 O bene purgato, duce numine, redditus orbi,  
 Nostra tibi tandem pectora vindica, amor!











78 M 350


ULB Halle 3  
001 592 122



sb. 26

Reho V







Del

115

ft:  
antwist.  
ommen,  
ommen.



QVVM  
*VIR REVERENDISSIMVS*  
**IOANNES FRIDERICVS**  
**HÆHN**  
*MONASTERII BERGENSIS ABBAS*  
 PVBLICE RENVNTIARETVR,  
 NOVOS HONORES  
 IPSIQVE REIPVBLICAEQVE  
 GRATVLABANTVR  
*PAEDAGOGII BERGENSIS COLLEGAE.*



D. VIII. OCTOB. cl<sup>o</sup> L<sup>o</sup> CCLXII.

*MAGDEBVRGI*  
 EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI PANSE.

